nimode plano, et ſolummodo à ſtriis formato abeuntibus. Cornua Ammonis variè compreſſa, ac morboſe affecta: orbibus in principio convolutionum à reliquis ſeparatis: hinc inde in ſua convolutione divulſis, et præter modum ad ſe invicem compreſſis, ochracea, lapidea, ac marchaſitacea: item minima, et quaſi nana cum minimis quoque ſuis ſpondylolithis.

V.

Variæ Matrices Cornuum Ammonis articuloſorum ſolidorum.

Matrix Cornu Ammonis ſtriati ſtriis integris &c. maximi hinc inde quampluri-mis Gryphitis imbuta; alia imperfecta lapidi calcario impreſſa; alia itidem ſilici Entlibuchiana.

Cornua Ammonis articuloſa concamerata.

I.

Partes, diverſa eorum interna facies cum excreſcentiis Agarici-formibus.

Spondylolitharum facies antica, et poſtica. Cornuum Ammonis articuloſorum concameratorum facies interna è latere cum omnibus ſuis cavitatibus apparens. item aliud horizontaliter cote aquariã depolitum, quo omnes eius concamerationes horizontaliter ſitæ deteguntur cum omnibus ſuis circumvolutionibus internis etiam irregularibus. adhuc aliud cum ſeptulis ſuis undulatis admodum regulariter diſpoſitis &c. Excreſcentiæ ſelenitica, ſeu funguli Agarici-formes maiores et minores criſpati, in extremitate albicantes, totam Spondylolitharum cavitatem occupantes, illamq; dilatantes.

II.

Variæ Cornuum Ammonis articuloſorum concameratorum ſpecies

Striata, ſtriis in principio denſis, et quaſi in faſciculum collectis, dein diviſis præcedente lineâ in ſpinam ſubrotundam abeuntibus, orbibus quaſi planis, et umbilico minus profundo maiora, mediocria, ac minora. Eadem præcedente tuberculo diviſis, orbibus ſubrotundis umbilico profundiore. Eadem ſtriis præcedente tuberculo diviſis orbibus anguſtiſſimis, ac perpendiculariter compreſſis, tuberculis in ſummitate orbium acuminata ſitis, umbilico profundiore, et ſeſe in centro ex utroque latere attingente.

Ammoniæ marinæ, et lapideæ Ammonitæ dictæ concameratæ cum ſiphunculo concamerationes pervadente.

I.

Ammoniæ marinæ in ſe horizontaliter omnimodè convolutæ, ſpiris à ſe invicem diviſis, lapideæ (ſi dentur.) Ammonitæ dicendæ. Ammonitæ in extremitate tantum horizontaliter in ſe convoluti cum ſpiris à ſe invicem diviſis, ac principio recto: Lituitæ dicti, Breyn. p. 25.

II.

Ammonitæ recti cum ſiphunculo axem ipſum pervadente. Iidem cum ſiphone ad peripheriam locato. Iidem cum ſiphunculo inter centrum

et